



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petrus Cnapheus Sev Fvlllo In Thoma VVegeino,
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1609

§. 7. Quis nouus Cnapheus seu Fullo, eiusdemque sacrilegium &
inexpiabile piaculum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

verò, (distumpantur licet etiam dæmones) ita dicimus; sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nobis.

Nicephorus lib. 18. cap. 51. Rîsus planè & iocus fuerit, si ab Angelis, & Seraphim ipsis proditum, atque decantatum carmen, atq; à tot sanctis sacræ synodi Patribus comprobatum, & confirmatum, quod vnam in tribus subsistentiis diuinitatem disertè deprædicat, Cnaphi primùm, & Seueri deinde opinione proculcetur, atque eorum (si superis placet) arbitrio, perinde atque si Cherubin superarent, corrigatur. Sed enim, qui hoc ita senserunt, Theopaschitæ vocati sunt, autores primarios Cnaphicum Petrum, & Seuerum, quemadmodum dictū est, & deinde Iacobum, habentes.

§. 7. *Quis nouus Cnaphicus seu Fullo, eiusdemque sacrilegum & inexpiabile piaculum.*

Est is Thomas VVegeelinus, Augustanus,

Spurcus homo, patria ista indigno locoque, Nonellus Predicans, Pappi Argentoratensis discipulus & parasitus, Lutherana Philosophia Magistellus, supercilij planè Fullonici, hoc est, fastuosissimi; nuper Tubingæ Vbiquitatis Fullonica, & Seueriana, vno verbo, Eutychniana doctor factus; quam lauream Disputatione de Christo prorsus Vbiquistica, Eutychnianistica, & Cnaptica mercatus est: in qua cum nec pauca, nec obscura Fullonici & Cnaptici seu Cnaphici sui animi specimina edidisset; tandem in præfatione (Que ordine quidem prima est, sed ut arbitror, ortu postrema) ad Nobiles & Magnificos suos Patronos & Mæcenates Fullonico candore totus, quantus, quantus est, candidatus, in publicum processit. Nam postquam varia ex intimis Eutychnianorum penetra-

*penetralibus deprompta attulisset, in hac deinceps os suum
Fullonicum resoluit:*

Hoc locō intermittere non possum, quin obiter huc annotem memorabilem quandam historiam, de tanti mysterij axioma, quam Constanti-
nopoly temporibus Theodosij Imperatoris contigisse narrat Ioh. Zonaras Annal. Tom. 3. verbis sequentibus, ex latina versione huc tralatis: Huius, inquit, Imperatoris temporibus, PROCVLO Patriarcha cū clero, & maxima Vrbanae multitudinis parte supplicantibus; Puer sublimis in aëre tollitur: populo obstupefacto, & longo tempore vociferante, Kyrie eleison, rursus demittitur, ac sibi præceptum esse dicit, vt in Cantico ter sancto adderetur clausula; QVI CRVCIFIXVS EST PRO NOBIS.

Quis Lycus, quis Ister, Quis Nicer seu Neccarus, imo, quis Nilus, imò quis Oceanus hunc Fullonismum eluet & abluet? Hocine dicit Zonaras? Num Græcus, an Latinus? Num uterque? Num Zonaras scribit puero è supernis remisso

mandatum, ut hymno Trifagio adiceretur illa clausula? QUI
CRUCIFIXVS ES PRO NOBIS. Audiamus ergo Zo-
naram Græcè suo, & Latinè Interpretis sui VVolphij ore lo-
quentem. Ex editione Græcolatina Basileensi, euulgata Anno
Christi MDLVII, quæ videtur fuisse prima.

§. 8. Verba Zonara. Tom. 3. Annalium in
Theodosio Iuniorè.

Εν τῆς χρόνοις διέτ' αὐτῆ βασιλείῳ, πρὸς κλητῆ πατριάρχῃ
λιτανεύοντ' ἅσιν τῶ κλήρω, καὶ πλείω μέρει τῆ πλῆθους τῆς πό-
λεως, ἄφνω παιδίον αἰρετῶν ἐναέριον, τὸ δὲ λαὸς θαμβουμένῃ,
καὶ ὅτι πλείων βοῶντ' ὅτι, τὸ, κύριε ἐλέησον, αὐθις κατὰ γ-
γῆ, λέγον μνηστῆνα, μὴ δεῖν περὶ τῆσδε τῆ τελευ-
τῆ, τὸ ὄραρωθεὶς πρὸς ἡμᾶς. Hoc est, Interprete Lutherano
VVolphio: Huius Imperatoris temporibus, Proclo Pa-
triarcha cum clero, & maxima urbanæ multitudinis
parte supplicantibus, puer sublimis in aërem tollitur.
Populo obstupefacto, & longo tempore vociferante,
Kyrie eleeson, rursus demittitur, ac sibi præceptum esse
dicit, NE in cantico Tersancto adderetur clausula; qui
crucifixus est pro nobis.

§. 9. Crimina à nouo Fullone commissa.

Nunc adeste omnes, & præsertim vos, honoratissimi
viri, quibus, VVegetinus, rediuius Cnapheus, suam Ful-
lonicam disputationem dedicauit; & mecum numerate scelera
& sacrilegia, quibus nouus Fullo sese nefariè obstrinxit; & ve-
stras aures opplere non horruit.

I. Turpissimum crimen Falsi; Deprauat enim & falsat
mentem & stylum Græci & Latini Zonara, expuncta nega-
tione, & substituta affirmatione; nam Græcus Zonaras dicit:
Puerum reducem dixisse, μὴ δεῖν, Non oportere addere ad
Trifa-